



Pavonem, avem illam multis coloribus variegatam, Junoni sacram fuisse, norunt omnes, qui commenta Poëtarum vel primis, ut ajunt, labris degustaverunt. Patet ea consecratio non solum ex literis hominum ingenio pollentium, in quibus vel Junonem, vel pavonem laudibus extollere voluerunt, cum modo Junonis avis, modo Junonia avis, modo pavo Samius appellatur: sed ex antiquis etiam nummorum imaginibus. In nummo D. Trajani Imp. Jupiter, Juno & Minerva; ille in medio, ista ad sinistram manum, hæc ad dextram angustiore figura ad contemplandum exhibentur: cum Jovi quidem aquila, Minervæ noctua sua; at Junoni pavo appositus conspicitur. Rursus tres aves dictæ in metallo Antonini Pii, ommissis tamen Diis, quibus alias addicuntur, conjunctim excusæ extant. (a) Jungebat videlicet gentiliū superstitio hos Deastros inter se, potissimum in obsecrationibus; ut in AEmylii Pauli Consulis, magnificam hanc effundentis vocem: Jovem Opt. Max. Junonem Reginam, & Minervam precatus sum, ut, si adversi quid P.R. immineret, totum in domum meam converteretur. (b) Neque non in vetustis lapidum monumentis, ut in Mediolanensi: Jovi O.M. Junoni, Minervæ, Q. Rationem autem, cur hæc tria nomina confociarentur, summaque veneratione coleantur, nonnulli talem afferunt, quod Jupiter, Juno, Minerva Di Penates existerent, sine quibus vivere ac sapere nequiremus, sed qui penitus nos regerent ratione, calore, spiritu. (c) Ex qua inventione suam mutuatus est, quisquis nummum argenteum in medium attulit, inter eruditos non ignotum, ea quidem forma, ut altera ejus facie tres personæ habeantur, subjunctis cuique avibus suis; mediæ cygno; a dextris stanti pavone; a sinistris ulula; in altera corpus Domini cum verbis ad marginem pœtitis: Constantino M. ejusque filiis sacra CCCXLIII. (d) Merito de autore hujus monetæ dubitatur, & nummus ipse inter adulterinos rejicitur, cum & Constantinus M. an. Chr. 337. d. 22 Maji, in villa suburbana Nicomediæ animam efflaverit, & inventor nummi, in allatas tres formas gentiliū incidens, easdem ad tria nomina augusta, Constantinum patrem, Const. & Const, filios ejus accommodaverit, pro aquila media cygnum supponens. Licet enim testimoniiis rerum convicti facile largiamur, Constantinum patrem, a societate sanctorum adhuc alienum, cygnum oppido amasse, propterea quod Apollini in delictis esset, imo & facer: eademque ex causa laurum summo in pretio habuisse, utpote qui Daphnen illam Antiochenam, Apollinis memoriæ dicatam, Constantinam Daphnen dici voluerit: (e) quomodo tamen Imperatori jam in luce verbi divini collocato, piorumque cætibus aggregate figura cygni assignari possit, non video. Quid autem noctuæ & pavoni cum filiis Constantini M? nisi quis, Rhetorum more, aut Poëtarum, causas quasdam, vel potius colores ad ostentandum ingenium suum sustineat producere. Sed ad pavonem Junoni adjunctum redeo; quam adjunctionem quidam ideo factam rentur, quod Juno opulentiam rerumque omnium affluentiam significet; Hujus autem felicitatis imaginem in statu varioque colore pavonis apparere. Vel quod pavonem prius in Insula Samo, Junoni dicata, repertum referant; unde & in templo Junonis Samiæ pavonem, æque ut Mycenis, quondam admirationi fuisse, (f) & in æde Junonis pavones perpetuo enutriri solitos. (g) Enim vero si quis figmentum hoc paulo accuratius consideret, ejusque vim secum contempletur: potiore rationem in ipsius avis tam pulchræ natura ingenioque investigandam esse reperiet. Tradunt scilicet rerum naturalium investigatores, quod & experientia comprobat, pavonem auræ mutationem varietatemque confestim sentire, clamore sublato denunciare, in alta loca evolare, quo magis sonum sibi innatum possit edere. Quin etiam usu magistro ostendunt, pavum noctu quoque tempestatem prælagire, neque a somno usquam impediri, quo minus cæli mutati indicium faciat; Quanquam calidior ejus consti-

constitutio dispositioque nocturni clamoris causa esse possit. Carnem enim adeo calidam & siccam pavones habere dicuntur, ea ut vix multo temporis spatio computrescat, ac metus sit, ne depasta in magna copia stomachum perdat, mortemque acceleret, (h) Jam vero Junonem aëri præesse fabulati sunt, sororem & uxorem Jovis, cui cum cælum supremum obtigisset, mediam inter terram atque ætherem regionem Junoni relictam: inde mutua inter ambos confociatio. Deinde manifestum est, pulcherrimam illam naturæ sobolem, iridem Junoni dicatam, quod illa meteororum solâ specie nos fallentium (emphaticorum) regina mortalium animos in sui admirationem rapit. Etenim cum nubes resolvitur in guttulas: radii solares aut lunares e regione positi illas illustrant, ut stillicidia singula speculorum instar præ se ferant; Illustratæ autem guttulæ nunc fulgorem, nunc umbram referunt, & fracti reflexique radii mirabilem varietatem efficiunt, (i) quæ vel mille trahens colores, ut Poëta loquitur, insigni curvamine cælum decorat. Quodque imprimis miratu dignum, quot guttæ minutæ in aëre pendent, tot specula conspici licet: quot specula, tot irides, & quoties quisque pedem promoveret, toties aliam iridem intueri potest. Ex quo simul emergit, iridem etiam ante diluvium extitisse; cum causæ naturales, nubes, sol, locus, in quo ex adversum nubes collocari potuit, statim in primordio rerum adfuerint, quas impeditas fuisse non possumus affirmare, cum nec impeditio finis, nec auror appareat. Consequitur & hoc, quod cæterarum stellarum radii, ob debilitatem suam, & distantiam Junonis arcum hauri efficere valeant, & si vel maxime aliquid valeant, nubesque feriant: tanta tamen earum virtus non est, ut adversum nostrum inde flectantur. Jam vero experientia diximus comprobari, auram a pavone cupide admodum captari. Irides nox gignit & dies; illa quidem lunares; hic vero solares. Dari enim circulos ejusmodi in nubibus, interveniente lumine, Lusitani in Insula S. Thomæ, Combachius Oxonii, Sennertus Wittebergæ, alii alibi observarunt. Quod autem istiusmodi arcus lunares rarius deprehendantur (intra 50 annos Aristoteles duas tantum conspectas memorat) (k) inde fit, quia plena demum luna iridem potest producere. Atqui non semper plena conspicitur, & si plena fiat, non statim guttæ aquarum sub cælo pendentium proportioni respondent, quæ proportio ob debile lumen plus in lunari, quam solari iride exigitur. Accedunt quieta noctis tempora, in quibus hominibus somno sopitis observationibus cæli vacare haut licet, imo nec placet. Et pavo noster, super cacumina ædium noctu recubans, subito, perinde ut interditi, auræ indicat mutationem; adeoque rursum hæc duo inter se conveniunt. Iris, benignissimum illud cæli prodigium, aut horis matutinis, quando in occasu apparet; aut vespertinis, cum sub ortum solis conspicitur, se prodit, & quidem nec pluvioso, nec sereno nimis cælo, quia nubila solem abscondunt, serenitas contra nubem, materiam iridis, aufert. Sic pavo iisdem temporibus e culminibus tectorum attollere vocem consuevit, non falsus vicissitudinis temporum index ac nuncius. Varios, sed mendaces colores arcus cælestis refert; quippe non ex elementorum mixtione ortos, sed specierum visibilium oculos humanos ludentium fallentium que, non secus ac illi, qui apparent in pannis, in collis anatum, columbarum que, intelis aranearum, quique in speculo ex veris faciei coloribus relucent. Quos tametsi miris modis inter se misceri videas, adeo, ut nec oculi satis eos numerare, nec mens ponderare satis valeat: tamen tres potissimum prælucent; puniceus, qui summus est, quod in suprema parte nubes sit crassior, nigrior, magisque tenebricosa; unde ex parte colorem rubrum & purpureum exhibet; fulgidum enim cum nigro puniceum colorem efficit: deinde viridis, in medio positus, & cum multa umbra temperatus ex eo oritur, quod nubes in medio rarior, quam in summo illustrationem debiliorem patiatur; tertius color cæruleus infimum locum prope concavum occupat, inde factus, quod nubes in infima parte sit rarior, & tenuior, quam

65 (0) 50

FK II 790

quam in medio & summo, adeo, ut visus radios debilissime refractos vix percipiat, & propterea color istius partis ad aliquam obscuritatem & nigredinem vergat. Pie commentati sunt pii quidam veterum, statuentes, puniceo colore, conflagrandum esse mundum; caruleo, mundum communi inundatione suffocarum; viridi, statum florentissimum Ecclesie seu gratiam Dei significari. Florum discrimina, paucis abhinc annis, juxta ordinem colorum, in iride celesti observandorum, disposuit in Indice nominum plantarum multilingui Christianus Menzelius, Serenif. Electoris Brandenburgici Archiater. De collo pavonis si dicendum esset, repeterem e Tertulliano ejus plumam vestem de cataclitis; imo omni conchylio depressiorem, qua colla florent. (l) Ubi per vestem de cataclitis Salmalius intelligit vestem cataclitorum seu accubitalem, pavoni propterea tributam, quoniam hujusmodi vestes triclinares pictae ut plurimum auro purpurae que insignes: (m) quemadmodum Publius Syrus pavonem Babylonica amictum veste nominat. Citarem Dionysium Peravianum scilo contra Salmasium pugnantem, quod in collo pavonis non conchyliatum, h. e. dilutum ac pallidiorem colorem, sed purpureum ex mera & saturo purpura fecerit. Iraque animadverit in ea expositione duplicem stuporem. Primum, si ideo Tertullianus collum pavonis quolibet conchylio vegetius esse dixit, quia purpuram meram, quae utique conchylio vegetior sit, hoc lumine antecellit, perinde eum loquentem inducere, ac si diceret, Helenam nive esse candidiorem, imo creta vel gypso. Deinde quod pavoni collum vel mera saturoque purpura finctum esse velit. Nam conchyliatum esse pavonis collum, ac simul viridi & smaragdino colore temperatum. (n) Hoc certe dicam, stellatam pavonis caudam, celestis arcus aemulam, arcum quandam terrestrem, ob oculos in ea micantes, quos Poetae Argi custodes fuisse comminiscuntur a Junone in caudam repositos, imitari. Duplicetur multifarium lucis decus in caelo; triplicetur etiam, & novam proferat in resplendendo iridis imaginem; specula pavonina numero quoque superbiunt & cum pulchritudine sua in certamen veniunt. Insuper multis partibus pavus cum Junone, mores si spectemus, comparari poterit. Notum est, pavonem in pratis incedentem, & in feminam pulcre ornata incidentem, expandere pennarum suarum gemmeos colores, cupere laudes suas, & pictorem pati depingentem spectando satiari. Nec ignotum vetus dictum: pavonem habere tria: vocem daemones, caput serpentis, passum latronis. Et figura Junonis ingenium superbum atque malignum denotari, sagaciter colligit sagacissimus fabularum interpres Verulamius. (o) Sic Ruæus Ludovico XIV Regi Galliarum hostium vanitatem ostensurus, subductis lumine cassis micant. (p) Nimirum uti vitorum, ita virtutum umbras ex animalibus brutis discere possumus. Quod uberius declarabit optima nota discipulus noster.

JOHANNES CHRISTIANUS FRANCKIUS, Glauchaviensis, oratione Latina utilitatem moralem ex brutis capiendam monstraturus, simulque ultimum vale scholae nostrae dicturus. Dicturo pro more vetusto respondet.

JOHANNES CASPAR OTTO, Cygneus. Deus Clementissimus filium pii Patris similem fervet sospitem atque incolumem, & tantum bonum in sui nominis gloriam, parentum solatium, & nostrum gaudium in sinu gratiae suae perpetuo foveat! P.P. d. VII. Maji. An. 1708.

- (l) Ryequius d. Capitol. Rom. c. 13. (b) Val. Max. l. 5. c. 6. 9. (c) Macrob. l. 3. & 4.
 (d) Hekehus Epist. d. nummis Constant. Max. (e) Cæs. Baron. tom. 3. Annal. (f) Pier. Val. Hie-
 reglyph. p. 284. (g) Voss. l. 3. d. Idol. c. 91. (h) Franz. Hist. Animal. Part. 2. c. 5. (i) Sper-
 ling. Iustit. Phys. l. 5. [k] l. 3. Meteor. [l] c. 3. pallio. [m] not. ad Tertull. D. pall.
 [n] in Appendice Epiphani Animadv. adversus Salmas. c. 6. [o] d. sapientia veterum. 16
 Symbol. heroica. [p] in Iustit. Phys. l. 5. c. 10. d. sapientia veterum. 16

ed (O) 20

